



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCCX. ad annum MLXXIII.

Parisiis, 1644

XXIII. Qui plegium regis vel archiepiscopi vel aldermanni infregerit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15625

Alienigenæ, si concubitus suos dirigere nolint, extra patriam cum peccatis & pecunia recedant.

XXIII.

Si quis plegium regis frangat, emendet quinque libras: si quis archiepiscopi vel comitis, tres libras emendet.

XXIV.

Si quis excommunicatum vel vtlagatum habeat, & manuteneat, desperatio sibi est, & omni veniæ suæ. Et si quis ab iniustitia velit reuerti ad rectum, remittatur ei pro timore Dei, sicut melius poterit, & faciamus sicut nobis expedit. Succurramus semper ei primitus qui magis indiget: tunc metemus inde mercedem nostram vbi nobis carius erit. Quia semper debet impotenti pro Dei timore & amore clementius iudicari quam forti. Sane possumus scire, non potest debilis cum strenuo pariter. Vnde meditari debemus, & distincte discernere senium & iuuentutem, felicem & infelicem, sanitatem & infirmitatem, & vtrobi- que debet hoc diligenter aduerti tam in diuinis legibus, quam in sæcularibus iudiciis. Item in multis quando aliquis coactus peccat, magis veniale est, si necessitate fecit quod fecit. Et si quisquam agit aliquid impossibiliter, non est omnino simile, si voluntarie faciat.

ANNO CHRISTI 1029. ^a CONCILIVM LEMOVICENSE I.

QVO DECLARATVM EST MARTIALEM Lemouicensis sedis auctorem episcopum apostolicum esse nominandum: eiusdem corporis eleuatio facta fuit anno Domini MXXIX. tempore Ioannis papæ XVIII.

NOTA.

^a *Concilium.*] Hanc Synodum celebratam esse anno Christi 1029. ^{Tempus Concilii.} acta Lemouicensis Concilii indicant his verbis: *In primo anno dedicationis huius Lemouicensis basilicæ Redemptoris nostri, &c.* Dedicatio autem eiusdem ecclesiæ (vt habetur in scripto chronico Goufredi monachi sancti Martialis) habita fuit anno 1028. Quæ in hoc Concilio gesta fuerunt continentur actione I. Concilii Lemouicensis II. sub Benedicto IX. infra.